

**Dissertationem medicam de suffimentis ... / praeside ... Georgio  
Wolffgango Wedelio ... publico examini submittet ... Ad d. 17. Junii Anni M  
DC LXXVI. ... Johannes Hardovicus Hampe.**

### **Contributors**

Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.

Hampe, Johannes Hardovicus, active 1676-1678.

### **Publication/Creation**

Jenae : Stanno Nisiano, [1676]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bdrak7t6>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIONEM MEDICAM

*De*

# SUFFIMENTIS,

CONSENSU & AUTORITATE

*Illustris Facultatis Medicæ in florentissima SALANA,*

PRÆSIDE

VIRO

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theor. P. P. longè celeberrimo,  
Medic. Duc. Saxon. felicissimo, S. R. I. Natur.  
Curios. Collegâ Primario,


*Dn. Præceptore, Patrono, Promotore suorum studiorum ac Hospite sanctè colendo,*

Publico examini submittet

IN AUDITORIO MEDICO,

*Ad d. 17. Junii Anni clis lcc LXXVI.*

A. & R.

JOHANNES HARDOVICUS 

Goettingâ-Brunsvicensis.

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO,

DN. FRIDERICO

ADOLPHO de Schulenburg/

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

DUCIS BRUNSVIC. ET LUNÆBURG. &c.

CONSILIARIO INTIMO,

HÆREDITARIO IN HELEM,

Ramsdorff/ Horst/ Bergunst &c.

DOMINO AC PATRONO SUO MAGNO

Dissertationem hanc medicam offert

ejus

ILLUSTRIS GENEROSITATIS

Cliens humillimus

JOHANNES HARDOVICUS *J.H.P.C.*  
Autor & Respondens,



Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.



Agna olim suffimentorum fuit dignitas, magnaque omni seculo æstimatione, magna pars divini cultus. In more solenni erat litare, adolere, suffire, accendere mactatum pecus, & victimas aræ imponere, ad propitiandum numen, de quibus sacrificiorum generibus vastus esset differendi campus.

Suffiunt & Medici in microcosmi salutem, adolent pro aëre depurando, thura litant, non tam placandæ Morbonæ, quàm abigendæ.

Omen ex suffitu quoque captabant sacrificuli, seu promptè ad æthera ferretur fumus, seu accendi renuerent libamina, seu quæ alia observari erant solita. Dijudicant & Hygeiæ mystæ, quæ grata archæo obveniant, quæ adversentur ei, quæ profint, quæ noceant, singula singulis rite applicantes.

Molâ saltâ litabant, qui thura non habebant; nos ex ingenii nostri penu quantumcunque depromimus specimen; certi neque hic tam  
odo-

odoriamenti genus , quàm animum libantis at-  
tendi debere, unde ut conatus hi nostri faustè &  
cum propitio Numine eveniant, precamur.

## CAP. I.

### *Nominis explanationem proponit.*

**N**on tam ex more & instituto, quàm ex ratione  
& naturâ unicuique indita , quamcunque rem  
pertractaturus omnium primo sollicitus esse so-  
let, quo nomine insigniatur, simulac enim intel-  
lectus noster aliquid sibi proponit ad cognoscendum, non sta-  
tim meditatur, cui esse possit usui? unde proveniat? quibus  
gaudeat virtutibus? verùm quo nomine præditum perscru-  
tatur, quippe nomina explicant res, effato Philosophiæ pe-  
ritorum. Hujus itaque ductu antequam ad ipsa rei pene-  
tralia nos accingamus, inoffenso pede via usitata ingredie-  
mur, brevem vocis enodationem præmittendo.

I. 'ΟΜΩΝΥΜΙΑΝ seu vocis significationem quod  
spectat, suffimentum proprio significato & quidem 1. *latissi-  
mè* sumitur pro omni re odorabili, quod de se halitiosa efflu-  
via spargit, unde etiam pro pulveribus cypriis , sacculis,  
balsamis, smegmatibus odoratis accipitur , ut habet *Sebit.  
man. pr. T. II. pag. 1953.* 2. *Strictissimè* notat pulverem resi-  
nosum, vel fumigabilem, qui prunis injectus adoletur, & o-  
dorem utilitatis vel jucunditatis gratia (vavem ingratumve  
expirat. Veteribus verò Ethnicis & Romanis præcipuè  
talia dicta sunt suffimenta , quæ fieri solebant ex faba,  
milioque molito mulso sparso, interdum etiam sanguinem  
equinum miscebant. *Ovid. l. 4. fastor. teste.* 3. *Latè* seu me-  
dio

dio inter has acceptiones modo suffitus vocabulum sumitur pro fumo vel vapore, exhalante beneficio ignis, & ex siccis seu pulveribus, trochiscis, & similibus supra carbones ignitos injectis; & ex humidis, seu decoctis, uti ex Scriptoribus praxeos medicinæ satis superque liqvet. Præprimis autem hoc colligere licebit ex praxi *Felicitis Plater. T. 1. pag. 537. Tom. II. pag. 244. 278. T. III. pag. 315. 316. & Roder. à Castr. de morb. mulierum l. 1. cap. 4. pag. 23. 29.* Uti enim de priori nullum fortean est dubium, ita de posteriori significato, quatenus pro vapore è decoctis plantarum ascendente accipitur, usitatius dicitur practicis FOMENTUM, quod præter alios apud *Foë. l. 2. pr. med. sect. 2. p. 221. 222. 224. & l. 5. f. 1. p. 366.* videre est.

*Impropriè & tropicè* in sacro Codice & apud Theologos suffimentum sumitur pro precibus DEO gratis, argumento *Psalmi 141. vers. 2. & Apoc. c. 8. v. 3.* Finis quippe & sacrificiorum & precum idem est, placare & exorare DEUM. Suffitus hinc in V. T. *Exod. 30. vers. 34. & seqq.* lege artis pharmaceuticæ paratus ex balsamo, stacte, galbano & thure anatica proportione, DEO erat gratissimus, dicebaturque sanctus, quapropter & Judæis vetitum in ædibus suis accendere eundem sub poena ex stirpationis è populo sancto. Singulo mane & vesperi incendebatur, præprimis verò, quando supremus Pontifex ingredi volebat Sanctum Sanctorum, eo utebatur tamdiu donec fumus instar nubis ascenderet, & sella gratiæ præ eodem ferè videri non posset, de quo legantur libri Moyfis. Emblema scilicet precum constituit suffimentum, quæ non minus cælum petunt, & gratia longe suaviori se commendant. Tropicas significationes, locutionesque alias, cum jam versandum sit in foro Medico, & instituti ratio non patitur talismodi pertractare, sicco pede, ut ajunt, prætereo.

Sumetur autem in præsentī dissertatione vocabulum, SUFFITUS vel SUFFIMENTI latiori illâ seu mediâ signifi-

catione, pro omnibus iis, quæ non solum utilitatis & necessitatis gratia, verùm etiam jucunditatis & delectamenti ergo exhalationem spirare solent, uti exempli loco sunt pulveres, pro fumo communes in officinis prostantes, candelæ, seu aves cypriæ, ∇ suaveolentes, trochisci fragrantem spirantes odorem, aliæque vapores tenus ex præscripto Medici ad hanc vel illam partem derivari & administrari solita: de quibus singulis suo loco infra plus dicetur.

II. De ΣΥΝΩΝΥΜΙΑ s. vocis æquivalentia agendum brevibus erit. Dicitur modo *suffimentum*, modo *suffitus*, modo *suffimigium*, *suffimen*, *suffitio*, *suffimigatio*, Fallop. de morb. Gall. c. 69. p. 725. Notabilis vox est Barbaris & Arabibus præsertim interpretibus usitata SUFFUF, de quo præter alios plurimos, citamus Foubert. Isag. in art. compon. medic. pag. 96. Græcè distinctis quasi nominibus dicitur magis de siccis θυμίαμα, quod etiam in Latium translatum est, & καὶ ἐξοχήν de cortice thuris tanquam præcipuo suffimentorum ingrediente prædicatur; dicitur & τὸ θυμία, quod magis tamen apud Historicos sumitur, quando Sacerdotes gentiles Diis suis sacrificabant, & sic θυμία significat odoramentum, sacrificium, unde etiam derivatur τὸ θυμιάριον, quod est parvum & vile sacrificium. Dicitur & κάπνισμα usitata & Græcis sæpissime est vox, utriusque generi competens, θυμίασις & exinde composita ἀναθυμίασις, qui verò suffitus vaporem eliciendo factus, audit ἀτμίσις, ἀλμισμὸς.

III. ETYMOΛΟΓΙΑΝ seu vocis originem quod attinet, non immorabimur in eâ longius; vocolæ Latinæ derivantur omnes ferè à *suffio*, quod ex *sub* & *fio*, de quibus videantur Lexicographi. Græca hæc dicta vocabula θυμίαμα, θυμίασις, θυμία pro primitivo suo agnoscunt verbum θύω, quod idem est atque mactō, sacrifico, quia sacrificia super altare concremabantur, & ita suaveolentes odores cœlum versus ascende-

ascendebant, numini grati, uti etiam *Genes. IIX.* Noachus legitur tale sacrificium acceptum DEI naribus fecisse ex omni genere animalium. Nonnullis *ἰουμάματα* dicuntur quasi *ἰουμάματα*, quod langvescens animus tali suffitu sva-veolenti recreetur. Sed hæc edulia Grammaticorum filiis hac vice relinqvenda sunt.

## CAPUT II.

*Definitionem, ejusque explicati-  
onem in medium adducit.*

EXPLICATO nomine sequitur in ordine, ut ipsam definitionem ejusdemque explicationem aggrediamur, & in ea quasi in idea quadam videamus rem ipsam. Definitiones enim juxta effatum Philosophorum essentias rei quodammodo explicant. Esto autem talis:

**SUFFIMENTUM** est exhalatio partium mercurialium & sulphurearum sive sicca, sive humida, à calore propulsa, tum odoris, tum sanitatis gratia facta.

**GENUS** hujus definitionis dicimus esse *ἀναθυμίασις* seu exhalationem, quæ vox, ut modò dicebamus, communis est tum vaporis, tum fumo. Patet hoc tum ipsis sensibus, simul ac enim odoramentum quodlibet igni injicitur, vel ejusdem mediato accessu incalescit, in actum deducitur & statim per totum conclave aërem odor vel gratus vel foetidus pro intentionis diversitate replet: visui occurrit, quatenus fumat, & imprimis longe eminentius & proprie olfactui, unde etiam horum materia odoramenti nomine indigitatur, & à probatissimis autoribus proponitur. Vid. *Sebit. in man. pract. T. II.*



part. 8. pag. 1953. & seqq. & Senn. Instit. l. 5. p. 3. sect. 3. c. 30.  
p. 1488.

Testatur ipsummet quoque ratio & effectus. Tenuata enim ab igne subtiles atomi dum dissipantur, & propelluntur, exhalant quem secum in centro quasi continebant spiritum, qui ideo ad loca quibus destinatur prompte admodum adpellit.

*Differentia specifica* consistit in eo, quod suffitus odorem vix exspirent suum absque calore accedente, quod dictum est in nostrâ definitione, ut ut enim quædam sponte quasi præsertim odoratiora de se exhalent subtilia spiracula, & nares feriant, & cum aëre communicent, ceu vectore eadem; proprie tamen tum demum suffitus & fiunt & audiunt, quando igni aut rei calenti, nempe carbonibus ignitis, tegulæ vel laminæ ferreæ ignitæ injiciuntur, aut fornaci admoventur calenti; quod de reliquis odoramentorum speciebus vix ac ne vix quidem in genere dici poterit.

Hinc unguenta (quæ veteribus maxime in usu erant, ut *Hipp. etiam in principio lib. de Medico* præcipiat Medico, ut inter alia ornamenta non solum vestitu decoro, sed etiam unguentis odoratis, non tamen suspectum odorem ad omnia habentibus, conciliet sibi benevolentiam) odorata sola illinitione partium corporis, vel integumentorum suum dant effectum, nec necesse habent, ut prius injiciantur in ignem, quin potius ignis accessione odorem suum gratum sæpe amittunt, & vertunt in contrarium foetorem, exemplo moschi & aliorum. Eandem censuram subeunt balsama, poma ambrae, & smegmata odorata, pulveres cyprii & omnia alia, quorum ingredientibus admiscetur moschus aliaque odorem fragantem suâ naturâ exspirantia, aërea, aromatica, licet ob partes suas volatiles jamdum explicatas caput gravent & dolorem, imò in dispositis non rarò epilepsiam inducant.

Uti verò partes volatiles & fumigabiles expanduntur interprete calore, & diffunduntur in infinitas particulas, motum indeptæ ab extrinseco principio; ita sunt quidem suffimenta quædam, quæ citra extraneum calorem penetrantissimam suam exhalationem de se mittunt, non minus tamen id intrinseco calori, & quasi domestico lari, acceptum ferendum est, quatenus v. g.  $\ominus$  Fri vel lixivium quodvis cum  $\ominus$  co commissum,  $\square$ sum statim propellit odorem, ob extremum motum particularum maximè sibi contrariarum, & oppositis sibi occurrentium frontibus; Unde effervescentia & fervor exoritur, non prius finiendus quam omnes quasi volatiles atomi exhalaverint. Commixtio, inquam, hæc ipsa motoris vicem obit, & calorem propulsantem porosque pandentem extemplò parit, licet non minus extrinsecus admoto Vulcano longè præsentius id conspiciendum sit, quod nus  $\ominus$ lis \*ci exemplo Chimix tyronibus notum est.

Deinde differunt etiam in hoc, quod reliquæ odoramentorum species jam dictæ non nisi suavem ferè præbeant naribus odorem: suffimenta autem non solum ex gratis & benè olentibus, verùm etiam ex foetidis & graveolentibus, vel etiam ex suavibus & ingratis simul mixtis componantur, uti ex infra pluribus dicendis non obscurum erit. Non enim necesse est, ut omnis suffitus semper ex solis gratum odorem spirantibus fabricetur, quippe non tantum gratiæ, sed etiam sanitati, & præcipuè quidem destinati sunt; Hæc autem sanitas scilicet restituenda, præter odorem gratum, exspirantia, non gravatur minus benè olentia quandoque admittere, quod satis manifestè apparet in paroxysmis hysteri-  
cis, & aliis pluribus affectibus ex utero, qui non suavibus, à quibus potius læduntur & augentur, sed foetentibus ut plumis perdicum, crinibus humanis, ungu. mulæ &c. certius ut plurimum remouentur & tolluntur.

*Causam finalem* tandem adjecimus hanc, fieri nempe & institui suffimigia vel ad gratiam odoris, vel, quod præcipuum, sanitatis ergò, tum conservandæ, tum restituendæ, quod in sequentibus capitibus pluribus dabimus probatum.

### CAP. III.

## *Divisionem suffimentorum subjungit.*

**O**Rdo videtur nunc postulare, ut seorsim aliquid dicamus de differentia suffimentorum, seu quot modis fiant & administrantur.

I. Ratione *materiae* alia suffimenta componuntur ex siccis rebus vapidum nidorem exspirantibus, quemadmodum sunt imprimis resinosa, & pingvia, & dicuntur *sicca*, alia ex liquidis coctione vaporem exspirantibus, vel etiam laminæ ferreæ superfusis, & dicuntur *liquida*, uti dividit *Heurn. Meth. ad pr. l. 1. p. 62.* eaqve divisione utitur quoque *Decker. in exerc. circa M. M. c. 2. p. 43.* ubi parari ait vel in liquidâ vel solidâ consistentiâ. Humidum suffimentum dicitur *castroleta* uno nomine, & iterum componitur vel ex simplici liquore, ut  $\ddagger$ ,  $\nabla$  vitæ, rosar. odorif. *Schröder. &c.* vel ex decocto idoneorum, consentiente *Morello l. 2. f. 2. c. 9. p. 233. de prescribend. form.*

II. Ratione *figure & formæ externæ* seu consistentiæ vario modo se habent; prostant enim hoc fine, *pulveres* gr. m. triti, qui carbonibus injiciuntur & communiter dicuntur German. *Flußpulver / Räucherpulver.* 2. *Pastilli, placentule,* quas *trochiscos* vocant, & fiunt, quando pulveres humiditate quadam mucilaginosâ seu resinosâ subiguntur in pastam, ex illâque formantur orbiculi, signantur interdum, & iterum  
exsic-

exsiccantur, & hi trochisci paulò rarius de novo seu ex tempore à Medico præscribuntur, cum jam prostent in officinis parati, German. dicuntur *Käucherfuchlein*. 3. Oblongæ pyramidales columellæ tribus pedibus insistentes, quas vulgò vocant *cyprias aviculas* seu *candelas pro fumo* Germ. *Käucherfergen* / nec hæ candelæ referuntur inter compositiones extemporaneas, cum etiam prostent in officinis. 4. *Massa* quædam, absque certa tamen figura, ut plurimum tamen cylindrica, conspicitur & in officinis dicitur *massa ad fornacem*, Germ. *Ofenlact / Anstrich*.

III. Ratione *finis* suffimentum iterum statuitur duplex, vel enim instituitur ad *gratiam* odoris, & semper ex benevolentibus componitur, vel ad *sanitatem* eamq; vel conservandam, vel ad sensum amissam restituendam, cujus ingredientia etiam interdum non adeò gratum odorem spirant, qualia præter alios usus v. g. debentur mulierculis hystericis ex iis ut plurimum odoratisimis quibusvis contra charis & acceptis. vid. *Rondel. de med. ext. p. 253. it. Deck. l. c. p. 43.*

IV. Ratione *effectus & virtutis* dividitur in *roborans*, quod partes principes spiritusque reficit omnes, & *alterans* v. g. quod cerebrum exsiccat, menses movet & sistit. Aliud horum iterum esse potest *forte & violens*, aliud *benignum & mite*, aliud *mediocre & medio modo* se habens.

V. Ratione *modi utendi* aliud *indefinitè* & communi modo absque aliis instrumentis præterquam foco debitis usurpatur, & saltim arulæ igniariæ prunis refertæ injicitur & accenditur: aliud quod *certa parti* laboranti, unde & nomen asciscit, cum vel sine tubulis applicatur, ut in tenesmo, mensium obstructione, strangulatione uteri, struma, tumore scirrholo &c.

VI. Ratione *odoris* expirantis est iterum aliud *suaveolens*, quod odore suo gratisimo nares nostras summa cum ju-

cunditate afficit, aliud *graveolens* quod contrario modo se habet. Aliud *penetrans*, aliud  $\square$  *osum*, aliud  $\alpha\omicron\sigma\mu\omicron\nu$ , aliud *mixtum* partim ex beneolentibus, partim ex foetidis. *Rondel. de medic. ext. p. 254.* Variat enim odor inde oriundus pro variâ particularum  $\chi$ ialium &  $\phi$ earum miscela, & prout vel dispergi magis possunt sui juris existentia; vel obtusæ magis & implicatæ sunt terreis, humidis, aqueis, acidis &c.

VII. Ratione *valoris* & *pretii* dividi possunt suffimenta in *communia* & *optima*, quod videre est in *pharm. Aug.* & aliis dispensatoriis, & vulgò ita dictis, *Taxis*. Alii ut *Joubertus* dividunt in *vilius*, *medium* & *pretiosius* l. *de pest. c. 9. p. 149.* Sed cum hoc ad usum medicum parum vel nihil faciat, de hac divisione sollicitos pharmacopœos relinqvimus, utut taxarum moderatione meritò sæpè coërcendos.

## CAP. IV.

### *Farraginem ingredientium pertractat.*

VIsus est operæ pretium jam mentionem quoque facere materiæ medicæ, quæ hinc inde potior apud Classicos practicos Autores occurrit, ex qua ceu sylvâ quadam selectus ad varios scopos institui potest. Sic odoramentis inseruntur :

I. HERBÆ, FOLIA & FLORES : *absinthii, abrotani, acacia, adiantbi seu capilli ♀, anethi, anthos, artemisia, ba-laustiorum, basilici vulgaris seu ocymi, betonica, calamintha, calendula, caryophyllata, cauda equina, chamædryos, chamæmeli, chamæpityos, croci, conyza, cupressi, fumarie, genista, hyoscyami, hypocistidis, byssopi, jasmini, junci odorati seu scœnantbi, juniperi, lavendula, lauri, lentisci, lolii, majorana, malva arborescens, marrubii, melissa, mentha, mentastri, myrti, myr-*

tillorum, nardi, nepeta, nymphaea, olea, origani, peucedani, pimpinella, plantaginis, polii montani, pulegii, quercus, rosmarini, rosar. rubr. ruta, sabina, salvia, satureia, serpilli, silybrii, spica, stæcbados, tabaci, tanaceti, thymi, tussilaginis, urtica mortua, usnea, viola martia, viticis.

II. LIGNA; abietis, aloës, aspalathi, cassia, cedri, cypressi, fagi, fraxini, gvajaci, juniperi, lauri, lentisci, pini, quercus, rhodii, sandali albi, citrini, rubri, sassafras, visci querni.

III. RADICES: acori, angelica, aristolochia, asari, bistorta, caryophyllata, cepa, costi, cyperi, dictamni, galanga, beleinii, bellebori, iridis, junci odorati, levistici, rubia tinctor. valeriana, zedoaria.

I. SUCCI CONCRETI, GUMMATA, RESINÆ & GUMMI RESINÆ: Aloe, ambra, ammoniacum, asa dulcis seu benzoë & foetida, asphaltum, bals. peruvianum, bdellium, bitumen, camphora, colophonia, copal, elemi, euphorbium, galbanum, gummi Arabicum, bedera, juniperi, tragacantha, lacca, ladanum, laser, laserpitium, mastix, myrrha, opium, opobalsamum, opopanax, pini, pissasphaltum, pix, storax calamita, liquida, rubra, sagapenum, sandaracha Arabum seu vernix, sanguis draconis, sarcocolla, succinum album, flavum, Indicum, seu gummi anima, tacamahaca, terebinthina, thus commune & Norwegicum, cujus mentionem facit Simon Pauli in Quadr. botan pag. 539.

V. AROMATA: amomum, cardamomum majus & minus, caryophylli, cassia lignea, cinamomum, cubeba, macis, nuxmoschata, piper, saccharum canthum & commune, zingiber.

VI. MINERALIA, METALLA & SALIA, antimonium, arsenicum, auripigmentum, cadmia fossilis, chalcantum ustum, cinnabaris, crocus metallorum, hydrargyrum, marchasita, minium, nitrum, ☉ commune, scorie ex reg. ☿. ♃. ⊕.

VII. CORTICES, betula, cupule glandium, castaneaearum,

citræ

*citri, granatorum, ligni guajaci, pini, pomorum siccatorum, tamarisci, thuris, qui aliàs thymiama dicuntur.*

VIII. FRUCTUS & SEMINA *Anisi, apii, bacca lauri, juniperi, cannabis, carvi, citri, coriandri, colocynthbis, cumini, fœniculi, furfures bordei, galla, byoscyami, lini, milium, nigella Cretica, nux cupressi, pœonia, porri, ruta.*

IX. ANIMALIA EORUMQUE PARTES: *Apes, bufo exsiccatus, castoreum, corium C. C. birci, caprae, crines humani, eboris rasura, fel Zancharini piscis, lana & panni lanei, merda cati, moschus, mumia, penna perdicum, pili leporis, piscium salitorum capita & oculi, rana siccata, ungula asini, caprae, equi, mula, uterus suillus, verruca genuum equorum, zibetum.*

X. COMPOSITA & IN OFFICINIS JAM PROSTANTIA: *Gallia & alipta moschata, trochisci de myrrha, sabina, carabe, benzoe August. communes pro suffitu pulv. pro fumo, suffimentum de sandaracha, angelicum, epilepticum, imperiale, de succino, de tacamabacâ, de sabinâ, hypocistide, cornu caprino, Olo, verbasco Myns. pulvis pyr. &c.*

## CAPUT V.

*Paradigmata in medium affert.*

*Ad exsiccandum & roborandum caput.*

*R. succin. ʒij. thuris, mastich. ā ʒj.*

*gumm. beder. elem. ā. ʒʒ. styrac. calam. ʒij.*

*fol. salvia, rosmarin. majoran. ā. p. ij.*

*fl. lavend. rosar. ā. p. ij. ras. lign. rbod. ʒʒ.*

*conc. cont. gr. m. M. F. l. a. pulv. S. Räucher Pulver.*

Ad

Ad fluxiones sistendas.

℞. *suffim. de succin. Myns.* ʒj. *benz. caryoph.* ā. ʒj.  
*ras. lign. aloes, sandal. citrin.* ā. ʒʒ. *fol. beton.* p. iij.  
⊖ *comm.* ʒj. M. F. l. a. pulv. S. *Stußpulver.*

In affectibus aurium.

℞. *myrrb.* ʒiij. *thur. gumm. juniperin.* ā. ʒij.  
*ladan. N.M. caryophyll.* ā. ʒj. c. *mucilag. tragac. ex Ros. fact.*  
F. l. a. Trochisci.

In Epilepsia.

℞. *suffim. epilept. Myns.* ʒj. *ase foetida* ʒj. *castor.* ℥ij.  
*pic. nigr.* ʒij. *gumm. Arab.* ʒj. F. c. *succo rutæ* l. a. Trochisci.

In dolore dentium.

℞. *gumm. elem.* ʒj. *succin.* ʒʒ. *tacamabac.* ʒiij.  
*mastich. thur. a.* ʒj. *flor. rosar. antb. a. p.* iij.  
*sem. hyosc.* ℥j. *fol. tabac. p.* ij. M. F. l. a. pulvis.

Ad confortandum.

℞. *∇ odorif. Schröd.* ʒiij. *serpill. lilior. convall. a.* ʒj.  
*ras. lign. rhod. rad. irid. Florent. a.* ʒʒ. *mosch. gr.* iij.

M. S. *Wotriechendes Wasser.* vel

℞. *suffim. angel. Myns.* ʒj. *thur. gumm. elem. opobals. a.* ʒj.  
*succin. Indic. gall. moschat. a.* ʒʒ. M. F. l. a. pulvis.

In ozæna & ulceribus narium.

℞. *gumm. sandarac.* ʒiij. *myrrb. styrac. rubr. a.* ʒj.  
*thymiam.* ʒʒ. *auripigm.* ℥j. M. Pulveris. F. c. *cerâ rubrâ* l. a.  
Trochisc.

In Phthisi.

℞. *herb. tussilag. byssop. marrub. scabios. a.* M℥.

*sem. anis. fœnic. rad. glycyrrh. enul. a.* ʒij.

*cass. lign. lign. sassifr. a.* ʒʒ. ♀ *viv.* ʒij.

concis. cont. gr. m. coq. & vapor excipiatore hiante.

℞. *ras. lign. guajac. glycyrrhiz. a.* ʒj.

*gumm. heder. terebinth. coct. myrrb. a.* ʒʒ.

*fl. salv. rosar. cheir. a. p.* ij. M. F. l. a. pulvis.

In uteri procidentia.

℞. *suffim. de hypocist. Myns.* ʒij. *fol. myrtill. musc. terr. a.* M℥.

*myrrb. tacamab. a.* ʒij. *gallar.* ʒj. M. F. l. a. pulvis.



In suffocatione uteri.

℞. suffim. de tacamah. Myns. ℥ij. asæ fœtid. ℥ij.  
rad. levist. galang. a. ℥℞. troch. de myrrh. ℥j.  
disc. querc. ℥℞. M. F. l. a. c. succ. matricar. & gummi tra-  
gac. l. a. pastilli.

Ad menses movendos.

℞. suffim. de sabin. Myns. ℥ij. gumm. ammoniac. ℥ij.  
galban. asæ fœtid. a. ℥j. summ. artemis. fl. matric. a. p. ij.  
castor. ℥ij. caryoph. zingib. cinam. a. ℥℞.  
ungul. mul. ℥j. M. F. l. a. Pulvis.

Ad menses sistendos.

℞. thymiam. mastich. storac. calam. a. ℥ij.  
bdell. ladan. a. ℥j. rosar. rubr. myrt. a. M℞.  
fl. balauft. p. ij. M. F. l. a. Pulvis.

In morbo Gallico.

℞. ℥ii ℥j. & Hno congelat. ℥℞.  
oliban. mastich. zz. a. ℥j. aristol. O ℥ij.  
carbon. tilia ℥i℞. M. F. l. a. pulv. qui excipi potest c. te-  
rebinth. ut inde F. l. a. trochisc. seu aviculæ cypriæ.

In tenesmo.

℞. suffim. de verbasc. Myns. ℥i℞. colophon. ℥iij.  
mastich. thur. gumm. elem. copal. a. ℥j.  
F. c. succ. verbasc. & gummi tragac. l. a. Trochisci.

In peste.

℞. suffim. de O. l. Myns. ℥ij. de corn. capr. ejusd. ℥j.  
rad. angel. levist. a. ℥j. ras. lign. junip. ℥iij.  
mastich. gumm. junip. a. ℥ij. M. F. l. a. pulvis.

In arthritide.

℞. gumm. junip. copal. carann. myrrh. thur. a. ℥ij.  
picis nigr. benz. a. ℥j. N. M. cinam. a. ℥ij.  
chamad. chamæpith. a. p. ij. fol. laur. rosar. rubr. a. M℞.  
opii ℥℞. M. F. l. a. pulvis.

In erysipelate.

℞. gumm. heder. mastich. oliban. myrrh. a. ℥j.  
sabin. rosar. rubr. fl. sambuc. a. p. ij. sem. coriandr. ℥ij.  
rad. levist. ras. Xyloal. a. ℥℞. M. F. l. a. Pulvis

## CAPUT VI.

### *Modum utendi annectit.*

CONVENIUNT ferè in hoc omnia suffimentorum genera, quod absque calore seu remissione seu fortiori vix possint vim suam & virtutem monstrare, hic enim est quasi clavis hujus medicamenti. Pro ratione itaque extranei hujus motoris varii etiam alii modi applicandi exorti fuere. Sic odoramenta vel suffimenta prunis insperguntur ipsis, ut pulveres, trochisci &c. vel etiam tantum tegulæ ignitæ seu laminæ ferreæ asperguntur, aut illinuntur, ceu massa ad fornacem & castoletæ; vel in olla, quales sunt humida præprimis supra ignem posita, odorem suum expirant & effectum dant optatum, verbo, igne opus est ad hæc sacra.  
*Gregor. Horst. Instit. disp. 20. p. 412.*

Utendi & applicandi suffimenta modi in praxi medicâ excogitati sunt alii varii. Communissimus est mos ab India, quam vocant, occidentali per totum quasi terrarum orbem pervulgatus & receptus, haurire suffitum tabaci PER OS, quod suffimentum Anglicum dicitur ab *Aqvap. cbirurg. operat. p. 363.* Folia plantæ exsiccata & instar funis combinata seu contorta, vel, qui selectior quorundam mos est, sibi relicta & exsiccata, gr. m. concisa induntur fistulæ fictilis tubulo, & per alterum extremum ore fumus attrahitur expiraturque, ut inde interiore fornice palati receptus alliciat humores, apophlegmatismum constituat & serosum humorem à capite inprimis depleat, neque enim effectuum aliorum meminisse hîc attinet, qui hausto ad stomachum fumo consequi solent.

Per *tritorium* vel *infundibulum* suffitus sæpè ad partem affectam derivari solet, v. g. in affectibus aurium, ut extre-

mitatem patiens in aurem recipiat ægram, tinnientem aut dolentem, ut vapor fumusve eo melius possit tenuitate sua penetrare ad intimas partes affectas. Dum hoc agitur, Practicorum curatiorum consilio jubetur æger continere in ore fabas & masticare, aut pisa aliquot, vel etiam mastichen, cubebas, cardamomum &c. Hoc enim dum fit, meatus auditorius magis patet & hiat, ut eo celerius fumus penetret ad intima. Vid. *Gabelcb. cent. 1. obs. 60.* Addit *Solenand. in consil. p. 19.* statim à suffitu calido liquido debere auribus instillari liqvozem aliquem ad gr. j. ij. tepidè, occludiqve aurem gossypio, quod moschum aut ambram conservaverit; *River. l. 3. c. 1. p. 262.* caput muniendum esse linteo calidissimo dum suffitur. Per infundibulum quoque transmittuntur suffimenta ad partes affectas alias, quæ solæ ægrotant vel opem desiderant, v. g. crus, brachium, mentula &c. præcipuè si à lue & originem traxerit. Eodem modo etiam uti possumus in strumoso tumore infundibulo, ut suffimentum per id ad partem strumosam solum veniat & ibi persistat aliquamdiu. *River. cent. 1. obs. 76. p. 578.* Hoc utuntur etiam in uteri affectibus vid. *Welsch. la commare del Scipione Mercur. p. 718.* qui figuram depinxit. Instrumentum tale quoque, quo vapor ☉nosus ex ☉lis lixivi cujusque & ☉lis \*ci commixtione exsurgens ad uterum derivari possit, proponit *Glauberus.*

Non rarò culcitæ, cucuphæ & integumenta capitis suffiuntur in affectibus capitis præcipuè & faucium, item gossypium vel hapsus cannabis aut lini pexus, è pulveribus nempe injectis in carbones, & ita vertici imponuntur. *Solen. in consil. sect. 3. p. 269.* Sic nocturna byreta seu tegumenta capitis suffimentis calefacta, quod sæpissime vidi, maximo cum levamine adhibentur in dolore capitis & dentium atrocissimo. Sic in iisdem gossypium hoc modo calefactum consultò genis applicabatur, quod locum etiam habere posse in paralyticis mem-

bris affirmat *Solen. l. c. p. 283.* Hunc utendi modum amplectitur quoque in destillationibus à cerebro, ubi fumiganda opercula, vel etiam lanam, & capiti imponendam esse ait *Rondel. de Medic. ext. p. 255.*

*Ore patulo ac biante naribusque* attrahendum esse suffitum præcipit in phthisi aliisque pectoris affectibus *River. l. 7. pr. med. c. 7. p. 318.* Vid. *S. Paul. quadrup. Botan. p. 232.* Variarum instrumentorum figuræ in hoc casu vid. ap. *Bennet. theatr. tabid. p. 182. & seqq.* Hoc quoque interdum convenit in coryza, & intemperie cerebri frigida, circumvoluto quoque linteo capite, ne fumus tam facile exhalet, vel caput nimis feriat. *River. l. 1. pr. med. c. 1. p. 199.*

Vapore tenus itidem tum ad partem certam, tum ad totum corpus adhibetur *ὐπάλυσις.* Sic in balneo sicco seu æstuario, ut semicupio, ponuntur ægri sedentes supra scamnum, & obturatur undique dolium panno, de super capite exserto & ad aërem exposito, ne lædatur vox, aut suffocetur, tum quoque, ne æger illos pravos halitus è corpore evaporantes iterum inspiratione attrahat, sed libero aëre & puro refocilletur, ut ita sudorem facilius feliciusque sustinere queat. Habeat autem à tergo hoc dolium fenestellam, quæ pro usus necessitate aperiri possit, & per quam carbonibus ignitis, sub pedibus positis, immitti possit massa suffituum, & quæ deflagrata, subministrari possit alia atque alia; tum paulatim excipiat fumum per semihoram vel plus minus pro virium ratione, & sudet, quod sæpè maximo cum successu in scabie pessima certissimum remedium expertus est *Fons. T. II. consult. p. 99.* Eundem modum hodie laudant in abigenda lue & quam plurimi Medici & Chirurghi: de quo videantur ipsi autores, qui de hac lue scripserunt, *Rondelet. Mercat. & Fallop. de morb. Gallico* pluresque alii.

*Clausis fenestris & conclavi* suffitum excitandum in pe-

Ita monet *Liddel. de febb. p. 633.* Explosione item per tormenta, & pyris in plateis institutis, ut ipsas faces piceas taceamus, aër purificatur.

In partibus strumosis & scirrhosis etiam pyrites in ignem conjiciunt, ut candeant, & sic aceto injecto fortissimo fumus ascendens excipiat per infundibulum ad partem scirrhosam. Sic pannis circumcirca convolutis ægra, & supra umbilicum ligatis, cruribus dilatatis *per fistulam plumbeam* aut *infundibulum*, ut supra dictum, seu tritorium, cujus collum in sinu muliebri collo matricis imminet, fumum recipiat in uterum, vel etiam absq; infundibulo aut fistula, saltem cruribus dilatatis & undiq; vestibis tectis adhiberi potest, hoc enim modo strangulationi uteri medentur practici; in nimio fluxu hunc modum laudat *Hippocr. l. 2. de morb. mulier. p. 305.* in mensibus obstructis aliisque uteri affectibus à plurimis Medicis approbatur, *Rolsinc. O. & M. med. spec. où èr yeves p. 845. Castr. l. 2. c. 1. p. 158. Senn. de morb. mulier. Crato in consil. & aliis.*

Per *cathedram perforatam* fumum ex suffumigiis accensis per tubulum ligneum vel argenteum in anum demissum recipere docet in tenesmo *River. l. 10. pr. med. c. 10. p. 367.* per similem cathedram perforatam quoque in affectibus uteri suffumigium nonnulli recipiunt v. g. in mensium suppressione, strangulatu uteri &c. *Roder. à Castr. de morb. mulier. l. 2. c. 1. p. 158.* Haud aliter usurpanda esse suffimenta in hæmorrhoidibus, monet *Pulverin. med. pr. p. 557. Heurn. meth. ad pr. p. 63.* ex sententia *Hippocr.* suadet, ut mulier, cum suffimentorum usum inire velit ad uteri vitia, in sella sese componat, qua parturientes utuntur, ac tota pannis accurate valle tur, qui videatur.

Aviculas Cyprias solemus accendere, & imponere mensis vel aliis locis, tunc absque ulla ulteriori manuum operatque

atque labore suum expirant odorem, donec in totum conflagrata relinquant cineres.

Cassoletis seu suffumigiis humidis pavementum conclavium irrorare possumus, præcipuè si ex uosis confecta sunt; sin minus, possunt, uti supra dictum, etiam in locum calidum poni, & sic non sine singularibus sensuum delitiis odor evaporabit. *Morell. l. 2. f. 2. c. 9. p. 230. de præscrib. form.*

Solent usurpari *ratione temporis* suffimenta semel vel bis in die, jejuno ventriculo & vacuo, horis aliquot ante prandium aut cœnam in capitis defluxionibus exsiccandis. Ad sudandum poterit administrari pro constitutione virium ægri ad semihoram plus minusve, tribus horis ante prandium, & postea lectum ingressus paululum adhuc sudare, *Fonsec. T. III. consult. 17. p. 99.* In catarrhis exsiccandis tempus vespertinum magis eligit *Decker. in exerc. circa m. m. p. 78.*

Clyster Anglicus, cujus mentionem facit *Sim. Paul. in Quadr. Bot. p. 461.* nihil aliud est, quam suffimentum, quo fumus incensi tabaci beneficio coriaceæ fistulæ in anum propellitur, magni æstimatum à Britannis in doloribus coli.

## CAP. VII.

### *Modum agendi & vires generales delineat.*

**U**T fumus ignis partus est, ita & fumigatio hæc artificialis motorem agnoscit calorem. Si itaque penitus inquirere animus sit in agendi suffimentorum modum, quodnam ex ipsis agat, & quo modo, necesse est, ut elementa eorundem quasi *εἰς ἀτόμω* consideremus.

Præsupposito sc. (1.) ignem, quod per chymiam quoque oculotenus patet, omne evaporabile successive è mixtis pro-

pellere, sive ab extra ceu tortor adhibeatur & propulsor, sive spiritus & calor intus agat, uti v. g. plantæ sibi invicem superimpositæ incalescunt, & debito modo præparatæ suffimentum præstant, quo de latius vid. *Excellentiss. Dn. D. Præsidis, Præceptoris, & Patroni sanctè colendi Tractat. poster. de sale volat. plant. c. 4. p. 36. & per tot.*

Necessum est (2.) quæcunqve suffitum exhalare h. m. debent, habere in se evaporabile talismodi, & contra, quæ id non obtinent, minus inter hæc memorari.

Quæritur jam (3.) non immerito, qualem illud sit, & cui adscribendum, id quod quidem ex principiis chemicorum perfacile fuerit decisu. Si enim noverimus, horum alia fixa esse, alia volatilia, alia media; Si admittamus, quicquid fumat, ☿ est, seu ☿ium esse principium evaporabile & mobile: si concedamus, quicquid ardet, ♁ est; ♁ esse odorum radicem, verbo, si affectiones horum negare non velimus, obvium est & manifestum, principaliter exhalationem hanc è suffimentis oriundam adscribi debere ☿iali & ♁eo principio, quod quidem ex Chemicorum & imprimis jam laudati *Dn. D. Præsidis* hypothsibus possemus latius disquirere.

Sufficiet nobis hac vice, tum humida quidem, tum sicca subiectum esse suffimentorum & materiam; humida magis vaporem halitumq; , sicca fumum de se mittere, nullum verò proprie suffimentorum in classe esse, quod non vel de ☿iali vel ♁eo participet principio; & ♁ quidem quasi matrix est ☿, ac, quatenus ipsum *φλίγωσι* acqvirens in Gas resolvitur, alas acqvirit, meteorifatur, evaporat & vinculum compagis, cujus vicem obibat, resolvitur. ∇ ipsa simplex igni commissa vaporem de se copiosum spirat, in se coeuntem & densandum, si libero avolandi commeatu privetur, sic fotum seu fomentum magis præstans quam suffimentum; simulac vero activis instructus est liquor principiis, suffitum magis

constituit. Adeo ꝯ est Proteus & reliquorum omnium internuncijs, eminenter sub  $\Theta$ e volatili &  $\sim$ u, non minus tamen in reliquis conspicuus, omnibus quoad essentiam junctus. Prout igitur variat miscela ingredientium, ita diversi hinc arcessendi effectus. In genere enim

ALTERANT, torpidos, quietos, subsistentes humores & vapores, volatili, calidâ & subtili suâ ἀναθυμίασι, idq; non tantum in corpore ipso immediate in id derivati, sed etiam aërem, qui instar vestimenti quasi est eidem, alterant. Hic ita correctus & particulis balsamicis subtilissimis repletus, dum corpus nostrum ambit, proque inspiratione & expiratione inservit, quâ carere non possumus, facile per corporis humani partes omnes pertransire valet, & post se relictis illis totum corpus alterat, penetrando & aperiendo omnes meatus corporis. Eo etiam fine in peste publica nihil magis è genere medicamentorum adhiberi solet ad mundificandum aërem & putrilaginem corrigendam, quam suffimenta. Hinc etiam consilio eo dato Græcis, Hippocrati statua in perpetuum honorem erecta legitur. Extra id tempus in usu quoque quotidiano sunt, præsertim ubi aër crassus particulis foetentibus repletus corrigendus est, hyeme præsertim & autumnis. Ob vim alterandi viscera eadem in lue ꝯ commendat Fallop. l. c. p. 726.

2. RESOLVUNT, INCIDUNT, ATTENUANT. Cum plerique suffitus sint calidi, & à temperamento frigidiori viscosi & crassi oriantur humores, hos illi quàm optimè corrigunt, ob salis volatilis inprimis  $\Theta$ si abundantiam calore & tenuitate sua penitus partes afficiendo mirum in modum fundunt, liquant & attenuant, ut in sudorem erumpere queant Mercat. de rect. præf. usu l. 1. p. 133. Quo fine etiam, attenuandi nempe materiam existentem in thorace & ad evacuationem aptam reddendi laudantur à Fallop. de purg. simpl. c. 21. Et a-



lias resolvere quoque sua caliditate & materiam dissolvere confirmat *Schneid. de catarrh. l. 5. c. 1.*

3. **PROMOVENT SUDOREM**, quod præcipuè *ἰπρά-  
μυσις* præstat seu suffitus vaporosi, fufis humoribus à colore & poris reſeratis. Fumus enim cum ſit calidiſſimus, maximum poteſt excitare ſudorem, per quem etiam inſigniter evacuat. Hinc in morbis, qui quaſi vecte expellendi, ceu in lue & c. nihil communius noſtro ſeculo, quam ſudorem ſuffitu excitare. Vid. *Mercat. de rect. præſ. uſu c. 12. Fallop. de morb. Gall. & Rondelet.*

4. **EXSICCANT & ABSORBENT** tum *privativè*, quatenus humores eliciunt & deplent, uti modo dictum, tum *poſitivè*, diſſipando & conſumendo, tum roborando quoque laxiores poros. *Solen. in conſil. p. 269.* caput ſiccare affirmat. *Zech. in conſult. p. 213.* ſuffumigiis ad caput moderate, exſiccandum utendum eſſe dicit. *Crato in conſil. 4. l. 2.* ad efficaciorẽ cerebri exſiccationem prodeſſe ſcribit, eodem fine etiam laudat ſuffumigia, nempe ad exſiccandum caput & thoracem *Fallop. de morb. Gall. c. 69.* Hinc ſuffitus in rheumate, quibus faciliùs promptiusque reſiccari poteſt, quam alio ullo remedii genere, maximè commendat *Joubert. de aff. thor. c. 4.* Sic & *Coſter. tab. 81.* in ulcere uteri à lue & ad abſorbenda inqvinamenta, & malignam qualitatem impreſſam utero tollendam, ſuffitus pro præſtantiffimo habet remedio. Cum verò ulcera hæc maligna ad cicatricem ægre veniant, niſi exſiccantia citra morſum adhibeantur, teſte *Mercat. de rect. præſ. uſ. l. 2.* & nullum medicamentorum genus melius ad hæc ulcera uteri citra morſum aliamve moleſtiam pervenire poſſit, quam ſuffumigia, optimè eadem in tali caſu adhibentur, ut alia taceamus.

5. **ADSTRINGUNT**, non quidem ratione volatilis exhalationis, quæ omnis potius aſtrictioni contraria videtur, un-

de etiam huic minus fidentum est soli operationi; sed partim, quia exsiccant, & exsiccando roborant, partim quod austera stypticaque particula reliquis se associant, adeoque partes acres, tenues, subtiles, ob quas potius aperiunt, modificant. Hinc in fluxu mensium, hæmorrhagia narium & aliis quibusdam suffitus locum habent, ut inferius pluribus dicemus.

6. EXPURGANT & EVACUANT, quod faciunt vel quoad totum, quando nempe sudor per suffitus elicitur, vel quoad partes determinatas, quando v.g. è thorace & capite materia evacuatur, seu simplici ejectione, liberata & incisa materia, s. per consequentem salivationem, utrumque fit per palatum, & os, quare ratione ad medicamenta evacuantia etiam refert Fallop. *de purg. simpl. c. 21.*

7. ROBORANT. In more ac instituto veterum positum erat, suas suffire circa noctem ingredientem culcitras, fide certa persuasi, per hanc suffitionem curas, molestias diurnas, sub noctem perbellè relaxari, & phantasmam somniorum matrem pellucidi instar speculi expoliri. Verum, si hoc accuratius perpendamus, non alio quam roborandi fine factum esse videmus. Quare & Solen. l. c. ad caput roborandum valde suffimenta commendat. Non autem solum caput & cerebrum, verum etiam cor, uterum, omnesque omnino partes machinae humanae confortant, unde Plater. T. I. pr. p. 495. odores gratos recta cor petere asserit, cui communicantur præprimis per pulmones, in cujus sententiam pedibus ire videtur ipse Sebit. l. c. p. 1959. & valet hinc Helmontianum illud: odores immediatum cum v. bus vitalibus habere contactum. Hinc fumus olfactus v. instaurat, cerebrumque & cor confortat, quod etiam legimus in sacris Prov. 27. 9. cor nempe exhilarare. De eadem virtute similiter & rectè sentit Morell. l. 2. f. 2. c. 9. Etsi videantur, inqviens, suffitus ad voluptatem facere, tamen cum consistunt ex cephalicis, cardiacis pretiosis,

non possunt non cerebrum, cor & eorum spiritus reficere, recreare, & vindicare simul à malignitate.

8. EMOLLIUNT & LAXANT. Hæc virtus inprimis adscribi solet cassoletis, seu humidis, & locum habent in emolliendis tumoribus scirrhis, in quibus præ cæteris medicamentis effectum satis generosum & nobilem præbent, eorum enim emollitione & relaxatione nullum præstantius, nullum tutius & melius remedium datur.

## CAPUT VIII.

### *Usus suffimentorum specialem proponit.*

Videbimus nunc etiam in specie, in quibus affectibus possint locum habere suffimenta, & quidem eo ordine, ut prius affectus supremi, tum medii, tandem infimi ventris, denique vitia cutanea proponamus.

In *affectibus capitis* conducunt intemperie cerebri frigida & humida, ut nempe humiditas illa absumatur & frigiditas corrigatur, hinc commendantur à *River. l. 1. c. 1. pr. m. p. 199. Senn. l. 1. pr. c. 2. p. 29.* & ad ulteriorem capitis roborationem *Lotich. l. 3. c. 1. obs. 1. p. 238. Plater. l. 1. obs. p. 88.*

Contra *vigilias nimias* *Senn. l. 1. pr. c. 2. p. 240.* ut nempe blanda ac balsamica ☞ exhalatione poros cerebri demulceant.

In *vertigine* eadem magnificat *Coster. tab. pract. 3. p. 15.*

In *Lethargo*, *Costerus, l. c. Jaccb. in IX. Rbas. c. 8. p. 118.* & in reliquis affectibus capitis frigidis & soporiferis, ut *caro* & *apoplexiâ* *Plater. T. I. pr. p. 50.* calefaciunt enim, exsiccant & roborant pro ratione ingredientium, novamq; frigidorum humorum generationem & affluxum prohibent; inprimis

autem in paroxysmo ob acredinem & volatile  $\ominus$ , quod præ  
cæteris facit  $\sim$  \* volat. tum simplex, tum rutaceus.

*In paralyfitam curanda, quàm præcavenda. Solenand. in  
consil. p. 183. River. l. 1. c. 5. p. 210. Coster. l. c. p. 23. Senn. l. 1. pr. c.  
27. p. 544. in paralyfi lingvæ quoque laudantur à Solen. in con-  
sil. p. 143.*

*In epilepsia Sorbait univ. med. p. 229. Coster. tab. pr. 7.  
p. 31. inprimis in paroxysmo excitant facultatem, & humores  
acidos, austeros, acres, membranas nerveasque partes alias  
vellicantes & nervos quasi constringentes, influxumque im-  
pedientes,  $\odot$  sã ac balsamicâ suâ volatilitate corrigunt, cujus  
rei elegantem historiam habet Deck. in exerc. circa M. M. p. 58.  
in muliere videlicet epilepticâ, suffocatione hypochondriacâ  
laborante, quam suffimento, tum à suffocatione hâcce, tum  
à motibus epilepticis liberavit. Sic per fumum tabaci puero  
trimulo in os inflatum idem præstitit River. cent. 2. obs. 60.  
p. 599.*

*In dolore capitis profunt tum quoad tegumenta suffumi-  
ganda, tum quoad ipsum caput, nisi aliud posterius prohibe-  
at, Solen. in consil. p. 27. quo casu præcipuè laudat succinum Indi-  
cum i. e. gummi animæ Fonssec. T. II. consult. p. 400. Plater.  
T. II. pr. p. 244. Gabelcb. cent. 3. obs. p. 50.*

*In bemicrania Lotich. l. 2. obs. 6. p. 161. Memorabile in  
affectibus capitis, & uteri, inprimis in melancholiâ & anxie-  
tatibus, doloribus quoque immanibus, lethargo &c. suffimen-  
tum est ex  $\ominus$ le \*co; injicitur  $\ominus$ \*cum lixivio cuicunque per  
vices, & prodiens inde urinosus halitus providè ad nares  
mittitur, cujus locum etiam ipse odoratus spiritus  $\ominus$ \*ci ru-  
tacei vel communis aliquando supplet.*

*Affectus oculorum non recusant admittere suffimenta,  
licet alias fumus iisdem molestus. Sic in epiphora Zeccb. con-*

*sult. pag. 445. eadem commendat; in lacrymis involuntariis Plater. T. III. p. 681. exsiccant enim & hinc astringunt.*

*In lippitudine rebelli ex lue q̄ea, quæ adnatam inflammavit membranam & corneam excoriavit, reliquis nihil præstantibus devenit ad suffumigia & sanavit ægrum Fallop. de morb. Gall. c. 69. p. 725.*

*Ad diminutam visionem Zecch. l. c. p. 869. Plater. T. I. p. 216. 233. In ejusdem læsione Plater. l. c. in dolore oculorum idem Plater. T. II. p. 278. eadem commendat.*

*Ad affectus aurium nihil magis, nihil melius usurpari potest quàm suffimenta tam sicca, quàm humida, & quidem in auditus difficultate, surditate & tinnitu laborante, securè cum fieri possit, suadet ut adhibeantur Solenand. l. c. p. 19. p. 231. legi etiam possunt hujus rei historię tanquam testes apud Plater. in l. 1. obs. Sic magni æstimatur & laudatur eximiè panis calidi, cum cumino aliisque carminativis cocti, altera crusta detracta, vapor in aurem ægram derivatus, quod, uti in vulgus notum, ita sæpè vidi maximo cum levamine in patriâ adhibitum. [In harum dolore etiam admittuntur à Joel. p. 221. & River. l. 2. c. 3. p. 267. De farinâ fabarum suffita in simili casu vid. S. Pauli quadrup. botan. p. 28. & humidis addit River. l. 3. c. 1. p. 262. Gabelcb. cent. 1. obs. 60. p. 102. Plater. T. I. p. 260. Joel. l. c. p. 224. Fons. T. II. consult. p. 336.*

*In affectibus narium non negligenda suffimenta, præcipuè in ozæna & ulceribus, uti ibidem laudat Hartm. pr. Chimiatr. p. 112. Joel. p. 231. Senn. l. 1. pr. p. 931. ad exsiccandam scilicet materiam affluentem. Sic non minus in earundem dolore laudantur à Plater. T. II. p. 302. & polypo T. III. p. 347. in hoc enim materia, à qua generatur, absimitur exsiccatione.*

*In oris dolore, ulceribus, fissuris lingvæ sæpius laudatus Platerus T. II. p. 317. adhiberi posse comprobatur.*

*In dolore dentium Lovich. l. 2. c. 4. obs. 4. & l. 7. c. 1. obs.*

p. 489. *Plater. T. II. p. 332.* Idem ipse in honestissimâ Matronâ vidi, quæ adeo graviter vexabatur dolore dentium, ut quasi sui videretur esse oblita, cum hic dolor atrocissimus à nullo medicamento genere moveri posset, jussi, ut accederent suffimenta, & plane sublatus primario ingrediente gummi elemi. *Scribon. Larg. de compos. med. c. 10. p. 40.* suffire jubet alterci femine i. e. hyoscyami, carbonibus nempe asperso, oreque patulo excipere, & suffitum bitumen levare quoque dolorem. ait.

In *angina pituitosâ*, præsertim si perseveret defluxio, ad suffitus quoque recurrendum est, nisi majori angustia premantur fauces & naribus potius quam ore inspirando fumus debet excipi, cerebrum enim sic mox suâ qualitate afficit medicamentum, *Joubert. de affect. thorac. c. 1. p. 365.* Hujus etiam historiam de puellâ 20. annorum anginosâ habet *Deck. l. c. p. 62. Aetius l. 3. c. 119.* thymiama Berenices anginosi ore hiante haustum prædesse scribit. In *faucium vitio Solen. in consil. p. 269.* & earum dolore *Plater. T. II. p. 349.* In *laxatione tonsillarum Lotich. l. 2. obs. 2. p. 221.* In *laxatione quoque & procedentia uvule succin. albiss. prunis injectum*, ut fumus ore hauriatur, tanquam specificum summè laudat *Salomon Albert. comm. in IX. Rhaf. c. 47. MSS.*

In *capitis fluxionibus Zeech. consult. p. 175. 694. Crat. l. 6. consil. Thoner. l. c. p. 106. Morell. l. c. p. 231. Grüling. cent. 1. observ. 100. Aquapend. operat. chirurg. p. 363. Rondel. de med. ext. p. 254.* In *catarrho calido* svadet etiam *Grüling. in Pr. p. 120.* quod vix imitandum svaserim. In *crasso Senn. l. 1. pr. p. 720.* in *frigido Rondel. meth. cur. morb. p. 157. Schneid. de catarrh. l. 4. c. 10. p. 574. Grüling. pr. p. 117.* in *suffocativo Hartm. pr. chimiatr. p. 93. Grüling. in pr. p. 125. Senn. l. 1. pr. p. 721.* in *coryzâ Schneid. de catarrh. l. 5. p. 122. River. ex sicca nigellâ & thure suffiendum esse præcipit l. 4. c. 5. pr. med. p. 272.*

*Affectus thoracis* suffimenta non minùs admittunt. In *phtisi* quidem & ulcere pulmonum eadem adhibentur, præcipuè ex thoracis ad exspuitionem promovendam, à *River. l. 7. c. 7. p. 318.* ad exsiccandum à *Fonsec. T. II. p. 260. Senn. l. 2. p. 212.* pulverem inspergendum prunis, ~uqve attrahendum fumum, subministrat: idem svadet *Lang. in misc. curios. p. 22.* nec *Benedict. in theatr. tabid. p. 131. Plater. T. III. p. 492.* eadem rejiciunt.

In *asthmate* *Zecch. consult. p. 421. River. l. 7. c. 1. p. 297.* fumum tabaci haustum vel caryophyllorum, paroxysmum tollere scribit. *Sorbait. univ. med. p. 330.* magni facit suffimentum ex herba cumini in pervigilio S. Johannis collecta, item ceram virgineam suffitam conducere ad asthma confirmat & ad tussim. Horum enim beneficio viscida tenax inciditur & exsiccat materia, qua ratione etiam major locus inspirationi & expirationi relinquitur; ad tussim *id. p. 333. l. c.* suffumigia parum astringentia quoq; laudat. Concedunt eadem *Zecch. conf. p. 445. Thoner. l. c. p. 106. Plat. T. I. p. 220.* In *dyspnæa* *Lotich. l. c. p. 325.*

In *imbecillitate virium* suum quoqve habent usum, roborare enim in capite de usu generali satis ostensum. Hinc in *imbecillitate virium* suffitus adhiberi posse scribit *River. l. 8. c. 3. p. 325.* Et hæc satis dicta sunt de affectibus mediis ventris.

Quibusnam in *affectibus infimi ventris* convenient, nunc videbimus. *Senn. l. 3. pr. p. 4.* in *intemperie œsophagi* humida, præ cæteris autem suffimentum è caule levistici excitatum probat. In *nausea* *Plater. T. I. p. 507.* verum non neglectis aliis, suffitus enim in hisce affectibus solos omnem paginam posse absolvere, vix quispiam asseret.

*Diarrhææ* præsertim biliosæ specifica vi folia conyzæ seu pulicariæ igni injecta mederi, insigni quoqve vi præditam, esse candelam regiam eodem modo adhibitam, testatur *River. l. 10. c. 5. pr. p. 359.* In *dysenteria* suffitus aliquando locum habere posse, putat *Grüling. l. 3. c. 1. pr. med. p. 366.*

Ad *tenesimum* profligandum suffimenta toto die adhibentur, acrimoniam enim assiduam desidendi cupiditatem excitantem temperant & demulcent : ipse ante aliquot annos correptus eodem, suffumigio ex verbasci floribus facto sanabar; legatur apud *Deck. l. c. p. 69.* historia in hoc casu. Sic etiam plurimi alii Praxeos scriptores eadem commendant ceu *River. l. 10. c. 7. p. 367. Senn. l. 3. pr. p. 416. Sorbait. l. c. p. 417. Grüling. cent. 6. obs. 75. Jaccb. in IX. Rbas. c. 59. p. 544.* magna enim loci vicinia cum medicamento, hinc multi usus erunt, quippe facilè ad locum affectum venire possunt, medicamenta autem, quò propiora loco affecto, eò melius & citius operantur.

In *hemorrhoidibus* nimium fluentibus cum dolore *Pulverin. med. pr. p. 557. Plater, T. II. p. 588. & T. III. p. 646. River. l. 10. c. 10. p. 375. In hydropse ascite Thoner. l. 3. obs. 4. p. 152. tympanitide Plater. T. III. p. 315. 316.*

In LITERI AFFECTIBUS nil magis adhibetur, quoad topica, è toto remediorum genere suffimentis, ita ut fere nullus è morbis mulierum detur, in quo adhiberi non possint: hinc in ejus frigida intemperie *Roder. à Castro de morb. mul. p. 248. & Senn. l. 4. pr. p. 45.* eadem adhibent, ad exsiccandum eundem *Zecb. in consult. p. 657.*

In *ulcere uteri* *Coster. T. pr. 81. p. 311.* ut nempe absorbeantur inquinamenta malignam qualitatem utero imprimentia, in ejusdem *inflatione*, *Idem l. c. p. 304.* ut & *Roder. à Castro l. 6. p. 282. In hydropse idem l. c. p. 279.*

In *procidencia uteri* quæ præprimis ab humiditate & hinc laxitate membri illius oritur, maximè prodesse visa sunt, quem in finem vel ipsum ol. oliv. vel cheirinum lateri candenti instillatum, ex *DD. Præsidis* experimento, qui id ipsum quoque in clitoridis inflatione probavit, laudamus, dum autem exsiccant suffimenta, non possunt non esse alicujus usus,



consentiunt *Sennert. l. 4. pr. p. 98. Plater. T. III. p. 574. seqq.* Cuius-  
tem angvillæ exsiccatam & suffitam laudat *Welsch. im Heb-  
ammenbuch c. 19. p. 709.*

In uteri imbecillitate *Mercat. de mul. aff. l. 2. c. 14. p. 594.*  
In dolore *Plater. T. II. p. 560.* In fluore muliebri *Sorbait. l. c. p. 450.*  
*Roder. à Castro l. c. p. 91. Plater. T. III. p. 693. Mercat. l. c. p. 517.*  
In suffocatione uteri *Sorbait. p. 456. Castr. l. c. p. 157. Senn. l. 4. pr.  
p. 238. Plater. T. II. p. 380.*

In mensium defectu maximi sunt momenti præcipuè rati-  
one temperamentifrigidioris, quod aptum ad generandos te-  
naces, viscidos, lentosque humores, qui facillime obstructio-  
nes pariunt, hos incidunt, attenuant, resolvunt, sicque ad flu-  
xum aptos reddunt suffimenta, tum ratione caloris, tum et-  
iam ratione partium volatilium, unde poros laxant, & ape-  
riunt, omniaque penitus obstacula quasi pervadunt. Hinc  
*Hippocr. 5. aph. 28.* aromatum suffitus ad muliebria ducenda seu  
menses movendos prodesse scribit, in quo etiam conveniunt  
plurimi alii. *Castr. l. c. p. 29. Jacch. in IX. Rhas. c. 66. p. 583. Sen-  
nert. l. 4. p. 157. Plat. T. I. p. 537. Mercat. l. c. p. 490. Fons. T. I. con-  
sult. p. 137. Hartm. in Pr. cbimiatr. laudat scorias reguli & coctas  
in lixivio ex cineribus plantarum specificarum, & fumum in-  
de sublatum dilatatis cruribus acceptum instar incantamenti  
prodesse addit. Specificum etiam colocynthis est, si suffiatur,  
quod dilaudat *Fimeus l. 4. cas. medicin. 9. p. 207.**

Sic in contrarium quoque non negliguntur penitus in ni-  
mio mensium fluxu, utpote qui ab apertis & nimium hiantibus  
& laxis vasorum osculis oritur, nimiaque fermentatione humo-  
rum acrium. Suffumigia non possunt non commode adhiberi,  
quatenus scilicet vasorum oscula claudunt exsiccando, & acrimo-  
niam seri absumendo corrigunt, fermentationemque in-  
hibent, cujus rei observatio non inelegans extat *apud Deck.  
l. c. p. 67. River. l. 15. c. 3. p. 446.* refert Joh. Paschaliū suffitu rana-

rum exsiccatarum foeminam septem mensibus hoc fluxu laborantem sanasse: idem affirmat fieri posse suffitu unguulae mulae. Probant quoque suffumigia in hoc affectu *Tboner. l. 3. obs. 1. p. 192. Castr. l. c. p. 43. Senn. l. 4. pr. p. 178. Plat. T. III. p. 641. Morell. p. 233. Mercat. l. c. p. 478.*

Ad abortum praecavendum, vias lubricas exsiccando, uterum confortando, conveniunt eadem, ut praeter alios *Roder. à Castr. l. c. p. 451. Mercat. l. c. p. 718.* svadent.

Cum ad menses movendos non minimam afferant ope, *molam* eadem ratione quoque expellere non negandum, par enim est ratio. Hinc quoque ad foetum mortuum expellendum magni usus erunt, quare etiam eodem in casu à magni nominis Practicis adhibentur, *Roder. à Castr. l. c. p. 395. Senn. l. 4. pr. p. 437. Schneid. de catarrh. l. 5. p. 418. Grüling. pr. p. 437.* quamobrem etiam ad secundinas pellendas non alia ratione *Mercat. l. c. p. 730.* suffumigia ut adhibeantur, permittit.

In *partu difficili* ob rationem jam allatam (menses enim moventia partum quoque & foetum pellunt) laudantur à *Senn. l. 4. pr. p. 418. Lotich. l. 5. obs. 18. p. 473. Plater. T. I. p. 464.* Hinc pari ratione conveniunt quoque in *lochiiis imminute fluentibus* post partum, ad quorum fluxum promovendum *Mercat. l. c. p. 739.* commendat suffitum ex oculis & capitibus piscium salitorum.

Ad *conceptum promovendum* addunt suum symbolum, quatenus roborant & mundificant uterum. *Sennert. l. 4. pr. p. 454. Mercat. l. c. p. 641. & seqq. Sorbait. & Castr. l. c. Lotich. l. 5. c. 1. obs. 13.* Post *extractionem foetus* commendat suffumigia *Ranckin. de parvu p. 185.*

In *contractione digitorum* post ulcus in carpo manus sinistrae ex emollientibus herbis suffimentum humidum, adeo profuisse vidi Göttingae in cive quodam primario, ut plane sanitati pristinae restituerentur digiti.

In tumoribus scirrhosis suum quoque habent usum: hinc commendantur à Joël. l. 1. f. 1. pr. med. p. 366. River. l. 6. p. 446. & obs. 76. cent. 1. & Fallop. de tumor. p. 1. c. 2. p. 261. Utuntur verò inprimis medicamento Galeni ex lapide pyrite, qui *gratus* est, ipsum calefaciendo, imò etiam igni ter quaterve, ignitumque ipsum projiciendo in acetum, & sic super illud acetum partem detinendo affectam, ut vaporem elevatum suscipiat locum suffumigando, quia materiam istam attenuat ac discutit. Sorb. l. c. p. 626. Plat. T. III. p. 341. in Oedematoso Morell. l. c. ad condymalata ani Plat. T. II. p. 591. in ganglio T. III. p. 354. In plica Polonica Fonssec. T. I. consult. p. 19. in tineâ, Fonssec. T. II. p. 134. In scabiè pessima Fonssec. T. II. p. 99. In morbo Gallico tum ad sudorem movendum, tum ad salivationem excitandam adhiberi solent, Rondel. de medic. ext. p. 254. Sorb. p. 479. Senn. l. 6. pr. p. 204. Fallop. & Mercat. de morb. Gallic. In purpura Neucrantz. c. 23. p. 324. de purp. ad sudorem excitandum & re-ferationem pororum commendat. In peste Crat. in consil. p. 803. Morell. p. 233. Liddel. de febb. p. 636. Bartb. cist. med. p. 216. Plater. T. II. p. 557. Sebit. man. pr. p. 1960. In artbritide Senn. de artbrit. p. 43. Lotich. l. 7. c. 1. obs. 7. p. 489. Plater. T. II. p. 639. Crat. in consil. p. 633. Heurn. meth. ad pr. p. 63.

In procidentiâ ani, tenesmo, erysipelate quantum eadem profint, non tam elogia Practicorum, quam experimenta loquuntur. Sic ad primam celebre est suffimentum B. D. D. Michael. ex asphalto, succino, mastiche, thure, myrobalanis, comm. MSS. in Jonston. Sic suffimentum de verbasco Myns. & colophonia, ut alia taceamus, in tenesmo probata sunt: sic suffimentum ex rad. levistici, tum alia quoque in erysipelate faciunt officium. In hæmorrhagia narium celebre est & memorabile experimentum Willis. de febb. c. 11. p. 210. quo vaporem è sanguine in ferrum ignitum stillante commendat.

Silentii sigario hîc involvimus alios usus, hinc inde

commendatos, citra tamen vel certam rationem, vel constantem experientiam vel usum, probandæ v. g. virginitatis, prohibendum conceptum &c. de quibus *Porta l. 2. c. 22.* & alii magiæ naturalis scriptores dicam, an transcriptores, legi queunt. Sic topicum quoque argumentum est, quod à suffitu petitur, utrum foemina idonea ad conceptum sit nec ne? si nempe fumum ab inferioribus partibus acceptum, v. g. allii, styracis, cinnamomi &c. sentiat in ore & naribus, dicunt non posse sterilitatis culpæ accusari mulierem, contra vero, si non sentiat, esse sterilem, *Hippocr. 5. apb. 59.* cujus rationem addit *Aristot. de gener. c. 7. p. 830.* Idem expiscari volunt, si suffimentum excitetur ex galbano, prius autem lavetur caput, exsiccetur linteis omnis odoris expertibus, vespere sinu muliebri exceptum, mane verò altero caput calefaciendum, dum adhuc jejuna, si olet galbanum, non sterilis ex sua natura est. *Heurn. in Inst. c. 4. p. 44.*

Ad fascinum tollendum, & fugandos Dæmones à vulgo adhiberi solent, quo etiam referri solet exemplum Tobia, qui suffitu ex corde piscis fugaverit Dæmonem. Multi, scribit *Jord. de div. in morb. c. 64. § 74.* credunt sine superstitiosa appositione per sensibilia quædam Dæmoniacos posse relevari, cum certæ res certas à DEO proprietates habeant, quarum causa nobis occulta; talia esse fugam Dæmonum, ♁, asphaltum. Dicunt autem concreasse DEUM in spiritibus angelicis & humano quandam potentiam sensitivam spirituales, per quam subjiciantur passionibus hujusmodi rerum corporalium. Sic Hermetem Trismegistum ferunt suffumigatione ex ligno aloes & ceti spermate Dæmones congregasse, suffitu verò ♁ fugasse. ♁ enim præ cæteris ob gehennæ metum volunt averfari Dæmonem. Alii muniunt se suffitu cornu caprini contra veneficia & dæmones. Mulierculæ nostrates toto die infantes fumigant conyza cœru-

lea, quam rugam vocant, *Beruffraut* / quos à fascino inqvi-  
tos, emaciatos, vel alio modo affectos credunt. Elegans hanc  
in rem seu fabula, seu historia legi potest apud *Scip. Mercur.*  
*libr. obstetr. p. 551.* Fumum ipsum adversum esse spiritui, ἀπο-  
πνυ est, à nullo enim corporeo affici potest: ast maleficio ipsi  
rebus naturalibus facto obstare inter alia & suffimenta posse  
nil prohibet.

## CAPUT IX.

### *Cautelas & observanda an- nectit.*

**E**leganter dictum non minus, quam verè hinc applicari pot-  
est illud Venusini: Temporibus medicina valet, data  
tempore profunt. *Suffimenta caput gravant*, hinc nec parcè  
nimis, nec frequenter nimis usurpanda; hinc eleganter *Cous*  
*s. apbor. 28. πολλαχῶς ἢ καὶ εἰς ἄλλα χρησίμη αὐτῆν, εἰ μὴ καρβα-  
είας ἐνεπείδ, multis autem modis etiam ad alia commoda essent,*  
*si non capitis gravitatem inducerent;* quare media incedendum  
via. *River. l. 1. c. 1. pr.* dicit, suffitus nimios quoscunque homi-  
nes offendere, & humores fundendo graves catarrhos excita-  
re. Hinc à suffimentis narcosis inducentibus, ut sem. hyosc.  
in dolore dentium in tempore abstinendum, ne in demen-  
tiam incidat æger: hinc *Senn. l. 1. pr. p. 96.* continuum eorum  
usum & frequentem vetat, moderatum concedit.

Utendum suffimentis, non nisi universalibus præmissis;  
Ineptus enim fuerit empiricus, qui non expurget corpus ante  
usum suffimentorum vel unica vel reiterata evacuatione, pro  
ratione videlicet humoris peccantis, habitus corporis seu  
roboris naturæ & morbi, & tunc quidem eo melius iisdem  
finem possumus assequi, quod præ cæteris valet in lue ♀, vel  
ubi ad sudorem cogendi ægri, hoc idem monet *Sorbait. p.*

479. *Senn. l. 1. p. 1. c. 10.* non nisi purgato corpore usurpanda præcipit, si secus id fiat, tuto usurpari non possunt ab hominibus noxiis peccantibusque humoribus scatentibus.

Non adhibenda nisi majori cautione in emaciatis calidioribus & biliosis corporibus, his enim facili negotio potius obesse quam prodesse queunt, cum dolorem capitis & alios affectus calidos excitent; hinc in suppressione mensium à causâ calidâ minus esse usurpanda suffimenta monet *Roder. à Castr. l. c. p. 26.* Valde quoque catarrhosis fluxionibus obnoxiiis, quibusque caput debile ac infirmum, thoraci angusto præditis & quasi naturali inclinatione ad tabem dispositis suffimentorum usus suspectus esse debet. Hinc potius, si id postulet necessitas, mitioribus utantur & parciori manu. Observavit *Excell. D. D. Præses nunquam sine laude & honore nominandus*, sæpè ab incauto usu in vasa præcipitatum materiam, quæ à naturâ foras propulsabatur, & febres periculosas excitasse. Advertenda non minus est ægrorum constitutio, utrum odores gratos possint ferre nec ne, quorundam enim capita adeo imbecillia, ut à suffitu quolibet vel saltem odore cephalalgiam patiantur. Sic de D. Joh. Echtio scribit *Solen. in consil. p. 143.* quod nullum odorem gratum inoffense perferre potuerit, bene itaque in iis administrandis hoc observandum erit. Hinc constitutioni addimus virium rationem quoque esse habendam, & prout eadem constantiores, vel debiliores, ita & suffimenta fortiora vel mitiora, & breviori vel longiori tempore applicanda: quod uti de omnibus morbis dictum esto, ita etiam de plica Polonica, lue & infectis. Memorabile est, odoramenta quæa narcotica pollere virtute, & caput porosque potius replere quam aperire: hinc in affectibus soporosis, lethargo, caro, quin & in epilepsia promiscuè iis uti non licet, & non nisi excitantia quæsa & similia applicanda. Hinc quæ ex vivo vel aliis conve-

nientibus suffiuntur pro exsiccando pulmone in phthisi & hæmoptysi, non tam patente & pleno rictu semper haurienda, ne tussum magis cieant, quàm aër h. m. medicatus blandius attrahendus.

Suffumigia in *apoplexia* quoque non esse adhibenda, quippe quod aërem reddant densiorem, impeditiorque hinc fiat respiratio jam satis oppressa: Nec ferri ea recto tramite in cerebrum, quod laborat, sed in pulmones, ac si pervenirent, eo tamen opplere cerebrum & graviolem fieri inde apoplexiam, recte scribit *Schneid. de apoplex. c. 22. p. 803.*

In *ulceribus narium* exsiccandis cavendum itidem est, ne simul lædamus cerebrum, hinc meatus ad cerebrum & ossa ethmoidea ad radices narium sita molli lana vel gossypio prius obstruere, ne fumus per inspirationem in ipsum cerebrum trahatur, præcipit *Joel. l. c. p. 231.*

In *gravidis* suffimentorum usus admodum circumspectus esse debet, nisi planè ab iisdem abstinendum, quippe quod muliebria ducant, ex quibus facilè abortus sequitur. *Hipp. l. 1. de morb. mul.* dicit, si menses apparuerint in utero gerentibus, aut abortus fiunt, si plures fuerint, aut foetus morboſi, cujus sententiæ quoque est *Heurn. meth. ad pr. p. 63.*

In lue & empirici quidem hodienuum suffitus ex cinnabari cum thure, pro eliciendo sudore usurpant, & cum admodum infesta soleant esse suffimenta ex glibus oculis & ori, hinc videndum, quod monitum est *Rondel. de med. ext. p. 255.* ut caput in principio extra eminens habeant, sintque immunes à fumo eadem partes. Verum consultius arbitramur cum *Fracast. l. 3. de morb. contag. cur. c. 10. p. 272.* pro usu particulari, seu ad certas partes à lue hac male habentes, quam universali seu ad corpus totum iisdem uti. Dum quoque æger sudat beneficio suffituum aliorum in dolio, videndum, ne deficiat animo, quod sæpè accidere solet, ideo cum ipso loquendum, ut  
ab il-

ab illa angustia vacet, & si levi respondeat voce, statim extrahendus, vel etiam si dicat, supervenire deliquium, subito eripiendus, *Fallop. l. c. p. 726.*

Quibus *angustia pectoris* est vel propter obstructa vasa, vel quando destillat aliquid è capite, vel quando sputum cruentum ejicitur, non æque conveniunt suffimenta. Nec ubi inflammatio metuenda *Heurn. meth. ad pr. p. 63.* Hinc peripnevmonia laborantes si suffiuntur, pereunt, dicit *Fallop. de morb. Gall. c. 69.*

In *affectibus uteri* bene est instar regulæ Lesbiæ observandum, quæ possint ferre, quæ minus; utur enim fumo  $\Delta$ , plumarum perdicum, aliorumque foetidorum exhalationibus excitari hystericæ soleant, invenire tamen multas licet, quæ suaveolentibus præ foetidis delectentur, his vero magis lædantur.

In partibus *scirrhis* emolliendis bene circumspiciendum monet, ne lapis pyrites sit plumbarius, *River. l. 15. p. 9. p. 463.* maximè quippe nociturus.

SOLI DEO GLORIA.

---

## PEREXIMIE HAMPI,

Suffitus ut aliarum rerum emblemata constituunt, ita in primis statuere sustineo, optimè eosdem adumbrare famam.

Suffitus latere nescit, sed in plurimas dispersus atomos plurimos afficit, naresque ferit, oculosque tentat & totum adeo corporis involucrium; fama malum bonumve, quo non aliud velocius ullum aures implet, & repetitis vicibus hominum oribus se ingerit.

Suffi-



Suffitus gratos quotusque est qui non amet, amplectatur, sibi que applicet avide, ingratos quis non refugit & indigne fert, camarinam moveri? ὁ δὲ ὄλβιος, ὃν φάμα καλέχου' αγαθαί, *beatus autem ille, quem fama amplectuntur bona*, infelix & omnibus invisus quem mala facta infamant, ut hinc *Plato* non sine ratione malam famam pro supplicio multis constituerit, & vi contrariorum euphemen præmium gratum virtuti.

Suffitus excelsa petit, nec spatio concludi arcto amat, nec terræ affigitur; Fama cœlo contermina columnas Herculis attingit, imo per solis utramque domum vagatur.

Mitto alia, Tibi, mi HAMPI, suffitus primam famam foenerabit, latere nescit virtus Tua, & quos fecisti nobiscum profectus laudabiles, ut sciant alii, suffitibus sistis in cathedrâ publicâ. Nec deerit dehinc fama incluta, quam porrò eximiis extendere factis satagis, donec doctorum lateri sociatus præmia digna subeas, & pluribus salutem reddas, vitamque, illi verò Tibi gloriam immortalem & famam nullo ære redimendam. Dab. Jenæ è museo Id. Jun. 1676.

Georg. Wolffg. Wedelius.